



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Philippicæ Sive Invectivæ LX. In Notorios Peccatores

Hartung, Philipp von

Egræ, 1687

Philippica 48. in ingratos.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76172)

se, ingeminant ictus, renovantque continuo vulnere, cum ad nova de die in diem stimulat scelera, dum semivivum, libero videlicet arbitrio adhuc præditum, sed consuetudine delinquendi nimium quantum debilitatum deserant, deque præda securi recedant. Quodsi Sacerdotes & Levitas, confessarios & Prædicatores in ejusmodi Jerichuntinum viatorem, inconstantem homuncionem incidere contingat, nihil morantur, sed ocyus prætereunt; quia oleum & operam sese perdituros ominantur, illoque Pauli semet teneatur: *impossibile est eos, qui prolapsi sunt, revocari ad penitenti-*

Heb. 6. v. 6.

am. nimirum tam difficile est hominem inconstantem ad semitam virtutis, ad sanitatem mentis, ad terminum salutis adducere, ut ordinarijs cum auxilijs id ipsum impossibile censeatur. ostendite o inconstantes, o Jerichuntini ambulones me hallucinatum fuisse, ostendite inquam ex inconstantibus vos constantes redisse, revocabo & ego verbum, percutiam os meum, & canam palinodiam.

* * *
* * *
* * *



PHILIPPICA XLIIIX.

In Ingratos.

DOMINICA XIII. POST PENTECOSTEN.

Non est inventus, qui rediret. Luc. 17. v. 18.

§. 1.
Rarus in mundo est qui sit gratus.

Rara avis in terris alioque simillima corvo gratus homo est, imò mille citius corvos albos, quam unicum solidæ gratitudinis hominem reperias. *non est inventus qui rediret* ad dandam Deo pro acceptis beneficijs gloriam, ad referendam Deo homini pro impensis obsequijs gratiam, ad exercendam virtutum omnium sanctissimam *non est inventus* discipulus, cliens, patiens, poenitens, qui rediret ad Magistrum, Patronum, Medicum, Patrem Spiritus debitâ gratiarum actione demerendum. Corvinæ indolis sumus, corvo illi persimiles, qui ex Arca à Noëmo dimissus *egrediebatur, & non revertebatur* Gen. 8. v. 7. reverti videlicet ad liberatorem nostrum cum olivæ ramusculo

nolumus, quasi libertati decedat; si verbo factove gratæ mentis memoriam contestemur. Et quamvis corvus subinde ad arcæ tectum quietis gratiâ redierit, juxta versionem hebraicam: *egrediebatur corvus exeundo, & redeundo*; ad Noëmum tamen in ipsam arcam ait Cornelius non revertebatur. Præferebat corvus illos, qui domum frequentant alicujus, inquit Oleaster in c. 8. Genes. quamdiu opus habent; cum verò quæ sibi sunt necessaria acquirunt, neminem noverunt. Proverbium olim jactatum, hodièque verum manet: *Nemo bene merito bovem immolavit præter Pyrrhiam*, hic enim cum fortè fortunâ littus perambulans piraticam, in eaque feniculum captivum aspexisset, precibus captivi, & commiseratione motus, redemit mancipium, & hujus

Plut. 99. moral. p. 1. Num. 34.

jus hortatu ollas insuper aliquot pice plenas, quibuscum senex captus erat, exsolvit. Erat autem magna auri argentique vis pici permixta, quam cum senex Pyrrhiae liberatori suo detexisset, atque is subito ditatus in amplas evasisset fortunas, captivum suum, non ut mancipium, sed ut Patrem, imò deastrum habuit, ejusdemque honori bovem immolavit, unde natum adagium: *nemo præter Pyrrhiam bene merito bovem immolavit.* Ex millibus unus Pyrrhiam immortale nomen ob exercitam gratitudinem promeruit, innumeri alij ab ipsis bobus gratitudinem ediscere digni sunt, juxta illam vatis Evangelici querimoniam: *cognovit bos possessorem suum & asinus præsepe Domini sui, populus autem meus me non cognovit.* Ingratos hosce ergo mortales qui inveniri nolunt, ut redeant & dent gloriam Deo, mea persequetur Oratio, quæ si minus grata acciderit, nihil mirum; quia nemo contra ingratos dixit cum gratijs, nec ingratum mihi accidet, si ab ingratis persecutionem perpeffus dicere habuero: *persecuti sunt me gratis.*

ff. 1. v. 3.

pf. 118. v. 161.

§. 2.
Ingratitudo est merces mundi, ut patet in Apologo & historijs

Gratiosus est apologus fusè à Bidermanno descriptus de agricola, qui in silvam lignatum abierat, audieratque è spelunca draconem captivum, amplissimam *mundi mercedem* pollicitum, si rustici operâ inde educeretur: educitur, & pro beneficio interitum liberatori molitur, hanc enim esse promissam *mundi mercedem.* infelix rusticus ignorantiam prætendens suam, quòd nesciisset, quid *mundi merces* sit, appellat ad obvium judicem inciditque in canem senio & macie confectum, fune alligatum arbori, & canicidæ manum ultimam præstolantem, ut ex ipsius corio chirothecæ ingrato, cui per omnem vitam

noctes diésque servierat, hero conficerentur. Hæc est *merces mundi.* Appellat rusticus ab hoc ad alium judicem & ecce strigosum equum, stabulo heri post mille præstita obsequia exclusum, hæc eadem ingeminantem: *ista mundi merces est.* Appellat tertio supplex rusticus, & bonâ fortunâ offendit vulpem, cui cum omnes Gallinas & liberam semper mensam promississet, dolosissima vulpes ferre sententiam se posse negat, nisi prius cavernam videat, in quam cum denuo draconem induxisset, & à rustico saxum ocysimè advolvi svasisset; hæc est ajebat justissima mercedis mundanæ merces; sed & vulpes suam recepit mercedem, cum pactas ablatura gallinas adventasset, à filio enim familias, ita jubente matre, præustâ fude excipitur, & propria in pelle stipulatam mercedem tollere jubetur. Hic nimirum mundi genius est, mala pro bonis reddere, proque collata salute necem benefactori machinari. Hanc mercedem à Romanis Scipio Africanus tulit, & moriens exclamavit: *ingrata patriam ossa quidem mea habes.* hanc mercedem Aristides à Græcis, Dion à Syracusanis, Demosthenes ab Atheniensibus recepit, cumque in exilium ejiceretur ad templum Palladis conversus, altum ingemuit: ô Pallas Athenarum Domina cur tribus infauitissimis bestijs delectaris, noctuâ, Dracone, & populo?

Ingratus certè homo, non homo sed bestia est. *Homo cum in honore esset non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis* psal. 47. v. 21. homo ille fuit primus homo, qui post patratum crimen à facie Domini Dei se abscondit Gen. 3. v. 8. *ex verecundia ingratitude,* ut loquitur Tostatus q. 14. in Gen. *quia contra Deum beneficientem peccaverat,* & quia pec-

§. 3.
Homo ingratus nõ homo, sed bestijs deterior.

peccârat ut bestia, tunicâ quoque pelliceâ velut bestia indui meruit. *Comparatus est jumentis insipientibus*, quibus quæso jumentis? explicat seipsum Psaltes psal. 31. v. 9. cum monet: *nolite fieri sicut equus, & mulus, quibus non est intellectus.* Per mulum, qui generatur & non generat, designatur ingratus, qui accipit gratiam & non reddit, inquit Innocentius 3. in psal. 2. Muli titulo (teste Eliano) Plato Aristotelem compellere solebat, eò quòd lacte sapientiæ usque ad satietatem enutritus gratiarum loco calcem excusserit, Magistrum verberaverit, & Platoniam doctrinam evertere non dubitavit.

Senec. l. 1. de benef.

Quamquam vix bestia esse possit, cui ingratus homo componi valeat. *beneficia & feræ sentiunt, nec ulum tam immansvetum est animal, quod non cura mitiget, & in amorem sui vertat.* O ingrati! Leones & Elephantes imitemini: Leonum ora à Magistris impunè tractantur, vestra autem ora à Magistris & Magistratibus palpari se nequaquam patiuntur. *Elephantum feritatem usque in servile officium demeretur cibus*, at verò cibus in heriles manus & caput vos efferat. Si elephantis & leones imitari dedignamini, ecce oviculas, ecce catulos, ecce aviculas: *ratione beneficij impensi*, verba sunt Angelici Doctoris opusc. 61. *ovis lupum fugiens sequitur pastorem, catulus in extraneos latrans Domino suo caudâ blanditur.* respicite volatilia monet S. Ambrosius in c. 1. Malach. *aves propter viles escas gratias agunt, tu pretiosissimis epulis pasceris, & ingratus es?* quis tam gratus ut Leo Androdi, vel Hieronymi, ut aquila Sestane Virginis aut Medardi, ut canis Andronici, vel Tudesculus ille artocreatij Ulyssiponenfis, qui Eucharistiam solitus accedere, & irreverentes invadere cogeret.

que ad exhibendam reverentiam, ut fusè Nirimbergius lib. 9. c. 94. hist. nat. quis inquam tam gratus, ut muræna Hortensij, lupus S. Norberti, draco Tiberij, Corvus Valerij Corvini, vel Eliæ, & Pauli eremitæ? usque adeò deteriores bestiis vos facit ingratitude. O homines! non homines! ô corvis insidiosus! ô cuculis ingratiore! ô viperis, & serpentibus diriores! ô lupis immaniores! ita omninò estis tales, imò deteriores hiscè omnibus vestra vos reddit ingratitude. Lupus ab ova lactatus, posteaquam adolevisset, nutricem suam devoravit; Serpens hyberno frigore concretus à misere rustico in sinum injectus ubi ex nativo hospitis calore revixit, pro mercede pupugit, proque osculo venenum infixit, & rusticum interemit. Viperæ maternum perforant uterum, & mortem illi reddunt, cui vitam debent; corvi vetulos suos parentes devorant, devorandi & ipsi suis à posteris, ita & vos malorum corvorum ova pessima, pro bono malum reddere; pro beneficio veneficium rependere, pro salute accepta necem machinari quasi congenitum naturæ nostræ vitium habetis.

Plusquam bestialem ingratitude hominum expendens Isaias. c. 1. v. 2. exclamat: *audite celi, & auribus percipe terra, quoniam Deus locutus est.* quid obsecro locutus est cœli, terræque Dominus, ut tantam idcirco efflagites audientiam? *Filios enutri vi & exalta vi, ipsi autem spreverunt me.* hæc est pro beneficijs meis merces, hic census & vectigal à filijs meis mihi repensum: contemptus scilicet, & blasphemia, & mille flagitiorum plaustra. audite ergò cœli, & obstupescite, attende terra, & ulciscere! *hoc attoniti auditu celi* (Rupertum recito lib. 1. cap. 3. in If.) *& stupefacta terra reveren-*

S. 4. Ingratus caelo terræque intolerandus.

kk

verendo indignamini & indignando re-veremini. hoc nimirum est audire, indignari scilicet & erubescere, erubescat cælum se ingratu hiscè bestiis inservire; indignetur terra, se tam immanes belluas fovere: sæviat fulmine non bruto in bruta hæc animalia cælum, erubescat ab inverecundis tellus, & ignominia facies eorum repleat, qui ob effrontem suam impudentiam & impudentissimam ingratitude nem erubescere nolunt.

Effrænium effrontiumque judæorum ingratitude nem erga humanatum Deum perstringens Sanct. Gaudentius Serm. 9. ait eos à Christo curationum beneficijs verberatos fuisse, eò quòd ingratis beneficeret: *ipse in carne ad-veniens docuit eos & instruxit, & verberavit curationum beneficijs, quia ingrati existerent.* verberavit eos, quia non ut homines, sed ut bruta immania agebant & pro favoribus furoribus, pro amoribus dolores, pro curationum gratijs, vulnera, & funera recipiebant. *ò Judæi! ò bestia! ò judæis deteriores Christiani! ò verberibus mille digni! qui beneficia conditoris reparatorisque vestri mortiferam ingratitude nem nunquam non pensatis.*

Quærit Simon Majolus de Plantis to. 1. coll. 2. cur hedera sit signum venalis, vini & respondet, quia vitis est symbolum gratitudinis, præ ceteris enim arboribus benignior erga eos est, à quibus quid beneficij accipit, ipsi enim adeò Stipiti à quo sustentatur vitis gratum quendam succum communicat. è contra hedera exhaurit, & arefacit arborem, cui innititur; dissolvit murum, cui innititur, ideòque vivum ingratitude nis est hieroglyphicon. *propterea venali vino* inquit Majolus *suspensa superponitur hedera, quia in eadem domo pudeat vinum facere incolatum, ubi vel hedera vestigia sunt;*

§. 5.
Hedera
Symbolū
ingratitude
nis.

ideòque se venale facit potius, quam ibi commorari velit, ubi regnat ingratitude. Fugit vitis hedera, fugit vitis ingratum; mavult vendi vinum, quam convivere hedera, mavult vitis illa vera triginta denarijs vendi, mavult vindemiari imò exarescere; quam ingrato alii cui Judæ, imò toti Judææ genti convivere: ingrato enim convivendo, non homini, sed bestia convivit, cum enim homo animal sit sociabile, nihil autem æquè societatem dissolvat, quam ingratitude juxta illud Senecæ lib. 4. de benef. *nihil æquè concordiam humani Generis dissociat & destrahit, quam hoc vitium,* satius profectò est non vivere, quam ejusmodi inhumano homini convivere

Posteaquam energumenos duos ex Gerasenorum ditione oriundos Salvator persanasset, & legionem dæmonum integram, à quo possidebantur, in gregem porcorum tanquam vivas ingratitude nis imagines (eò quòd porci glandibus vescentes nunquam in pastorem, qui glandes ex arbore depluit intendunt oculos) ablegasset, *ecce tota Civitas exiit obviam Jesu* Matth. 8. v. 34. sine dubio, ut pro collato energumenis beneficio, & reddita universis Gerasenis ultrò citròque commendi libertate, quâ prius energumenorum ob furias destituti erant, gratias agant, & sospitorem suum in urbem triumphaliter inducant? *minimè gentium. viso eo rogabant ut transfiret à finibus eorum,* hæc est humanitas, hæc gratitudo, hoc reciprocum benevolentia obsequium, quòd rogent, & non armatâ manu expellant benefactorem; *hoc est enim mundi ingenium,* ait Paulus à Palatio in c. 8. Matth. *arma furentia arripere contra Christum bene merentem.* Non invitant in urbem, non orant, ut tantillum permaneat, sed ut quantocyùs transeat, unaque per-

§. 6.
Cur Geraseni Christum abesse, quam adesse maluerint.

ricu-

riculum omne submoveat, nè ad
ejus præsentiam dæmones porrò, si
porci desint, in Gerasenos tanquam
priorib' animantibus suppare imi-
grent. Plus nimirum dilexere Ge-
raseni porcos suos, quàm Agnum.
Dei qui tollit peccata mundi; plus
delectati sunt absentia Christi sive te-
nebris, quàm luce & præsentia solis,
malueruntque abesse benefacto-
rem, quàm ut pro beneficijs gratias
reponere tenerentur. ô Geraseni
juxtâ nomen vestrum *ruminati-
onem* *appropinquantes* bestijs vos accede-
re potiùs, quàm rationalibus crea-
turis & patrio significatis in nomine,
& proprio confirmatis in facinore.
ruminati-
onem & bestialitati appropin-
quant, qui accepta beneficia re-
cogitare negligunt, nec gratias di-
cere conantur.

Exod. 32.

Eductus ex Ægypto per mare
rubrum populus Israëliticus ingra-
tæ mentis Mnemosynon, aureum
sibi vitulum erigi imperat, quem
pro Numine adoret. cur vitulum?
ut vitularentur liberius; cur vitu-
lum? seu bubulum caput, ut cum
Ambrosio, Augustino, Hieronymo,
D. Cyprianus lib. de Patriarch: lo-
quitur. cur in quibusdam bubulum caput?
quia in his simili gaudet; cur vitu-
lum? quia crassi illi boves generare
aliud nesciunt, quàm vitulum; cur
vitulum, quia Serapidem ab Ægyp-
tius in specie nigræ vaccæ fronte
candidâ adorari viderant, idoloma-
nicorum, Ægyptiorum exemplo in
contemptum veri Dei beneficia in
maleficium, ut loquitur Olearius in
c. 4. Ex. convertunt, atque ut osten-
dant, belluis se similiores, quàm ho-
minibus esse, & ruminati-
onem accedere, divinis honoribus vitulum
prosequuntur.

§. 7.
Ingrati-
tudo cri-
men maxi-
mum.

Sed ruminarent utinam irratio-
nales isti homines, quanta ingrati-
tudinis turpitudine sit, periculum quã-
tum! nil homine terra pejor ingrato

gerit canit ex Menandro Publius
Mimus; philosophus Seneca verò
l. i. c. 10. de benef. *erunt homicidæ,
tyranni, fures, adulteri, raptores, sa-
crilegi, proditores: infra ista omnia
ingratus est, hoc tu carve tâquam ma-
ximum crimen nè admittas.* Divus
Bernardus denique sacratori usus
stylo serm. 2. de 7. pan. *nihil, inquit,
ita disciplet Deo in filijs gratia, quem-
admodum ingrati-
tudo.* Nec Deo tantum sed & hominibus exosos red-
dit. Alexander magnus militem a-
lioquin strenuum petentem agros
& prædia rustici cujuscumque, à quo
miles naufragus tecto, lectoq; excep-
tus, fort' & redanimatus fuerat, sti-
gmate in frontem inusto signari ini-
quum petitorum fecit quatriv-
erbio: *Hic ingratus est hospes.* proh!
quot foret stigmatici, si multi essent
Alexandri, qui pro potestate inu-
rerent, exurerentq; perfritas illas
frontes: hic ingratus est cliens, hic
ingratus est Discipulus, hic ingratus
est alumnus, hic ingratus est filius. Erit
erit aliquando tempus, cum non
frons sola turpi inuretur stigmatem,
sed exuretur omne corpus ob crimem
hoc maximum, & exosissimum, ad-
de. & comunissimum. O ingrati, per sa-
lutem ego vos vestram oro, & obte-
stor, quid ingrati-
tudo sit, perpen-
dite. clamat Bernardus: *ingrati-
tudo est hostis gratia, & inimica salutis,* ergo salutem desperate, nisi mox in-
grati esse desinitis. clamat Augusti-
nus: *ingrati-
tudo est radix totius ma-
li spiritualis, & ventus quidam desic-
cans & urens omne bonum; obstruens
fontem misericordia,* ergo de miseri-
cordia desperate, si fontem obtura-
re pergitis. clamat Patriarcha Vene-
tus: *ingrati-
tudo disperdit aggregatas
cum sudore maximo spirituales di-
viti-
as, obstruit contra se ostium di-
vinae bonitatis, & misericordiarum Dei,
exciccat fontem & charismatum ce-
lestium communicatione se privat.* ex-
gò

S. Bernar-
dus ser. 52.
in Cant.

gò communicationem charismatum, & communionem Sanctorum omnium sperare nō potestis, quamdiu ingratitude non deseritis. ite nunc, & vel ad Iesum cum decimo redite, & gratiarum decimas persolvite, vel cum novem leprosis

absque Iesu, absque salute, absque justificante gratia emanete, ite, perite, disperate.

* * *

PHILIPPICA XLIX.

In Luxum Vestium.

DOMINICA XIV. POST PENTECOSTEN.

Quid solliciti estis. Matth. 6. v. 28.

S. I.
Superbæ vestes arguunt nos turpitudinis nostræ.



Vix ulla corruptissimo hoc nostro sæculo mortales cura major incessit, quàm novorum novorumque in singulos annos, nè dicam lunationes, vestimentorum, ex hac cura laborant non tantum Domini, plus Dominis Dominae, plusque dominabus domicillae, verum etiam status civici & sexus utriusque personae, imò & ancillae infimae, quae malunt esurire, malunt debita contrahere, malunt corpus prostituere, malunt & animam debere, quàm carere gemmulis in capite, serico in corpore, auro in pectore vestiumque luxu abstinere. eò stultitiae nostrum hoc seculum processit, ut, quod concionator celebris observat, in plebe potius quàm in summis capitibus nitorem pretiumque vestium sit cernere, nec tam in aulis requirendi, qui de exquisitis vestimentis sint solliciti, quàm in foris & compitis, ac potissimum in sexu plebis sequiore. Emendicant hae nimirum splendore à vestibus, quem non habent à natalibus, ornarique malunt à vestibus, quàm eas ornare, sed advertite viles animae, quale vobismet ipsis ex immodera-

ta vestimentorum cupiditate accedat probrum, cum sordes terrae marisque tantoperè adamatis. quid fericum est, pro quo comparando vitae filum abrumpitis, quid argentum & aurum, pro quo caelum prodigitis? quid uniones & corallia, pro quibus disuniri à Deo non curatis? quid mosch^o, quo redolere pra omnibus solitarum virtutum aromatis gaudetis? quid chirotheculae & calceoli, quibus non tam superbiam manu & pedibus tenetis, quàm à superbia tenemini & calcamini? fericum est vermiculorum (ut venia dicto) excrementum, aurum & argentum est stomachantis terrae excrementum, gemmae & corallia spumantis maris excrementum, moschus africanorum murium excrementum, calcei & chirothecae mortuorum iamque putrefactorum animalium superstes excrementum! en quò vestra vos damnat superbia, ad sordes & excrementa, quemadmodum superbus ille serpens ad humum verrendam vorandamque damnatus est. nisi dicamus copiosiores & pretiosiores ideo vestes affectari, ut cum vestes in peccati cauterium & probrum primis parentibus à Deo datae sint (teste S. Vincentio Ferri-

rio